Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31237
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">



Regulæ ad inveniendum Paſcha cujuslibet anni.

Vt Paſcha dati cujuslibet anni invenias; prævie ſcire debes, quis illo anno ſit Aureus numerus, quæ Litera dominicalis, quæ Epacta.

Aureus numerus eſt numerus annorum, quibus conſtat Cyclus lunaris, hoc eſt, novendecim. Numeratur & invenitur hoc modo. Annus Correctionis 1582 fuit ſextus illius Cycli lunaris, proin Aureus numerus 6. Inde numera usque ad 19: tum incipe ab 1 iterum usque ad 19, & ſic ſemper repetendo; donec pervenias ad annum datum.

Litera dominicalis eſt, quæ Dominicas dies per datum quemlibet annum in calendario ſignificat. Tales ſunt ſeptem A B C D E F G. In año intercalari dantur duæ Literæ dominicales; una usque ad 24^{am} Februarii, altera ab hinc usque ad finem, quæ ſola pro inveniendo Paſchate attendi debet. Annus Intercalaris eſt quartus quisque, excepto anno Seculari (ultimo cujusvis ſeculi) quo Intercalatio non ponitur, niſi quarto quoque ſeculo. Itaque Literas dominicales ſic numerabis. Anno Correctionis fuit C, anno 1583 B, anno 1584 AG, anno 1585 F &c. ſic porro numera literas retrorſum & quarto cuique anno binas aſſignando, usque ad annum 1700: nam annus 1600 eſt intercalaris, ſicut quarto ſemper ſeculo eſſe debet. Anno 1700 omittitur Intercalatio, hinc habet unicam Literam; ſic & 1800 & 1900: at 2000 iterum erit intercalaris &c.

Epacta eſt numerus dierum, quibus annus ſolaris lunarem excedit. In annis ſecularibus exceſſus iſte ſeu Epacta creſcit 10 diebus, aliis vero annis 11 diebus. Excipe tres caſus. 1^{us}. Anno primo cujusvis Cycli lunaris, ſeu quod idem eſt, quando Aureus numerus eſt 1, creſcit Epacta uno die magis quam alias creſceret. 2^{us}. Anno ſeculari Intercalari creſcit uno die magis, quam ſi non eſſet intercalaris. 3^{us}. Anno ſeculari Proemptico (quando Luna uno integro die ſerius venit, quod ſingulis trecentis annis ferme contingit) creſcit Epacta uno die magis quam alias. Quando autem duo ex iſtis caſibus concurrunt, creſcit Epacta duobus diebus magis; imo tribus diebus, ſiquando omnes tres caſus concurrunt.